



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

LX. Beatificatio Servi Dei Pii Papæ V. ejusque Missæ, & Officiis certis in
locis concessio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

annullaretur, obedientiam non solum eorum Ministro Provinciali, sed etiam Visitatori, & Commissario delegato Reformatore à Nobis nominato, negare præsumperint; dictus verò Franciscus Maria Minister Generalis ne dictus Conventus, qui ex primariis Ordinis præfati existit, & in quo Sancti Bonaventuræ Ecclesiæ Doctoris, qui ibidem sanctæ conversationis meritis refulsit, & in Domino obdormivit caput (ut piè creditur) aservatur, in profundum malorum descendat, ac pernicioso exemplo alios quoque ejusdem, & aliarum Franciæ Provinciarum Conventus in ruinam trahat, opportunè in præmissis à Nobis provideri, & ut infra indulgeri summopere desideret.

§. 3. Nos ipsius Francisci Mariæ Ministri Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio inhærentes, Decreto aliàs videlicet die 31. Maji 1669. edito, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus dictum Conventum Sancti Bonaventuræ Lugdunen. Civitatis perseverare debere, ut antè sub omnimoda jurisdictione Ministri Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum: Ac propterea strictè mandamus Guardiano, cæterisque ejusdem Conventus Fratribus, ut in omnibus eidem Ministro Generali, necnon Ministro Provinciali ipsius Provinciæ, ac Visitatori, itidemque Reformatore ad præscriptum Sacrorum Canonum, Sacri Concilii Tridentini, Apostolicarum Constitutionum, & Ordinis prædicti omninò pareant, atque obediant; Et adversus parere recusantes prout juris fuerit animadverti dicta auctoritate harum serie præcipimus.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari: Sicque jus respectivè inviolabiliter observari.

§. 5. Siquè in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si fecus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apost. necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Conventus, ac Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanfuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Februarii 1672. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Beatificatio Servi Dei Pii Papæ V. ejusque Missæ, & Officii certis in locis concessio.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

UNigenitus Dei filius, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, cum sanctos, atque electos suos, eos præsertim, quos gregis sui Pastores constituit secundum corpus suum, creditæ dispensationis munere piè, fideliterque peracto, non solum æternæ beatitudinis præmiis donat in Cælis, sed etiam illorum sanctitatem sequentibus signis testatam, celebremque facit in terris, humilitati Nostræ, quam Ecclesiæ suæ sanctæ, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, præficere dignatus est, luculenta proponit exempla, quæ ipso donante, atque adjuvante pro modulo infirmitatis Nostræ humiliter sequi conitatur. Undè cum inter Dominici gregis Pastores Apostolici zeli atque vigoris gloria, pastoralisque charitatis & vigilantæ laude, & sanctæ humilitatis, aliarumque omnium virtutum fulgore quasi stella matutina in medio nebule longè latèque resplenderit Dei servus fel. rec. Pius Papa V. Prædecessor Noster, Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsi domum, & in diebus suis corroboravit templum: meritò adducimur, ut illius honorem, atque venerationem, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ decus, Catholicaque fidei præsidium, ac spiritualem fidelium ædificationem, quantum Nobis ex alto conceditur promovere studeamus.

§. 1. Cum itaque maturè, diligenterque discussis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum processibus dudum de Apostolicæ Sedis licentia confectis, ac etiam subindè repetitis super vitæ sanctitate, heroicisque virtutibus, & aliis charismatibus, quibus idem servus Dei Pius Papa V. Prædecessor Noster multipliciter claruisse, ac miraculis, quæ ejus intercessione, ac ad manifestandam illius sanctitatem à Deo patrata fuisse asserbatur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, præviis etiam Consultorum suffragiis unanimiter censuerit, posse quodcumque Nobis placeret, memoratum servum Dei Beatum declarari, atque indulgeri, ut de eo tanquam de Confessore Pontifice in quibusdam locis officium, & missa recitari, & celebrari possint.

§. 2. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis multorum Orthodoxorum Regum, aliorumque Principum, ac totius Ordinis Sancti Dominici, in quo præfatus servus Dei Pius Papa V. dum in minoribus constitutus erat, professionem regularem emisit, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem Servus Dei Pius Papa V. in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, & reliquæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur; Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, atque de eo sub ritu semiduplici in omnibus Ecclesiis tam secularibus quam regularibus utriusque sexus recitetur officium, & missa celebretur de Confessore Pontifice singulis annis juxtà rubricas Breviarii, & Missalis Romani die quinta Maji, quæ prima est non impedita post diem primam ejusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit.

§. 3. Hæc verò, nempe recitationem officii, & missæ celebrationem fieri concedimus in locis dumtaxat

LX.

Edita A. D.
1672.

Exordium.

Confectis
processibus,
& probatis
virtutibus.

Pium PP. V.
Beatum de-
clarat.

Officium,
& missam

taxat

Declarat,
ut in rubr.

Decretum
imitans.

Nec aliter
judicari posse
decernit.

Contrariis
derogat.

Dat. P. A. 2.
die 17. Febr.

certis in locis designat.

taxat infrascriptis, videlicet in Alma Urbe Nostra, ubi eisdem Servi Dei corpus in Basilica Sanctae Mariae Majoris requiescit, tum in Oppido Boschi Dertonen. Dioc. ubi natus est, necnon in Civitatibus, & Dioecibus Montis Regalis Provinciae Taurinens, ac Sutrin. & Nepefina, ubi fedit Antistes, ac in universo Ordine Sancti Dominici tam Fratrum, quam Monialium, & quantum ad Missas attinet etiam à Sacerdotibus confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno à datis hinc Literis, & quoad Indias à die quo eisdem Literis illuc pervenerint, inchoando in Ecclesiis Urbis, ac Civitatum, & Dioecelium, & Ordinis prædictorum respectivè solemnia Beatificationis ejusdem Servi Dei cum officio, & Missa sub ritu duplici majori die quoad Urbem à dilecto Filio Nostro in eadem Urbe Vicario in spiritualibus Generali, extra illam verò ab Ordinariis respectivè constituta, & intra sex menses promulganda, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum dicta Urbis celebrata fuerint eadem solemnia pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§. 4. Volumus autem ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfati ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsi præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 2. die 27. April.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Aprilis 1672. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LXI.

Declarat indulta per sel. record. Urbanum Papam Octavum concessa Fratribus Oblatis, seu Servientibus Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanæ, tunc temporis existentibus intelligantur emanata ad favorem, etiam hodiernorum, & per subsequentiâ perpetua tempora futurorum hujusmodi Congregationis Oblatorum, seu servientium prædictorum, quos suffragia ferre non posse, nisi in receptione Novitiorum ad professionem ejusdem cum eis conditionis statuit.

Nephris dictis, omissis repetam te remitto ad ea quæ notavi ad Constitus. 55. Decret Romanum Innocentii X. pag. 503. ubi aliqua ad præsentem materiam reperit.

Edita A. D. 1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Injuncti Nobis cœlestis Pastoralis officii sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christianitatis, qui è fluctibus seculi in portum vitæ religiose confugerunt, curam gerentes, enatas inter eos controversias, quæ amabilis concordie, fraternæque charitatis serenitatem obnubilare possent, opportune provisionis remedio recidere, ac illorum statui, & quieti, quantum Nobis ex alto conceditur consulere studeamus.

Causæ Contrit.

§. 1. Dudum siquidem sel. record. Urbanus Papa VIII. Prædecessor Noster ad sedandas inquietudines, atque animi perturbaciones, quas major pars tunc existentium Fratrum Oblatorum, seu Servientium Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanæ in suo hujusmodi statu patiebatur, per quasdam suas in simili forma Brevis die 2. Augusti 1641. emanatas Literas cum eisdem Fratribus Oblatis, seu Servientibus super quarto voto per eos emitti solito, de non procurando alio quam suo Fratrum Oblatorum, seu Servientium hujusmodi statu, ad effectum infrascriptum auctoritate Apostolica dispensavit, quantumque votum hujusmodi illis relaxavit; necnon eisdem Fratribus Oblatis, seu Servientibus tunc in dicto Ordine existentibus, quod ipsi postquam per septem annos continuos ab eorum professione numerandos, ac per alterius anni spatium in aliquo recollectionis loco à Ministris Provincialibus, & Definitoribus designato in dicto Fratrum Oblatorum, seu Servientium statu permanissent, ab ipsis Ministris Provincialibus, & Definitoribus hujusmodi in Capitulo, aut Definitorio Provinciali ad caputium, & statum laicalem admitti, & inter ipsos Fratres laicos ejusmodi Ordinis juxta eorum antiquitatem, necnon etiam inter Clericos, qui nondum quatuor annos à sua professione expleverant juxta Constitutiones præfate Congregationis Gallicanæ sedere possent, concessit, & indulgit; Fâ tamen lege, ut nec ejusmodi Fratres Oblati, seu servientes ad caputium, & statum laicorum sumpti, nec laici qui nondum suffragiorum jure potiti fuerant, nec denique alii, qui deinceps ad statum laicalem in dicto Ordine admitterentur, ullo suffragiorum jure gaudere valerent, nisi in receptione Novitiorum ad professionem ejusdem cum eis status, & conditionis. Voluit insuper dictus Urbanus Prædecessor, & pariter indulgit, ut si quis ex dictis Fratribus Oblatis, seu servientibus hujusmodi post suprascriptos septem à sua professione annos suum hujusmodi statum immutare nollet, de Superiorum suorum

consensu in eo permanere, necnon eisdem privilegiis, quibus alii gavisi essent, qui accepto caputio statum suum mutavissent, gaudere liberè, & licite possent, & alias prout in præfatis Urbani Prædecessoris Literis, quarum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, ubi etiam continetur.

Supplicatio.

§. 2. Cum autem sicut dilecti filii Superiores dictæ Congregationis Gallicanæ Nobis nuper exponi fecerunt, super præmissis, ferè eorum occasione subinde in eadem Congregatione variz exortæ fuerint controversiæ, super quibus aliz ab eodem Urbano Prædecessore die 25. Maii 1644. ac à rec. mem. Innocentio X. die 6. Aprilis 1648. & Alexandro VII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter Nostri die 10. Decembris 1659. ac die 13. Septembris 1660. & die 11. Aprilis 1661. respectivè expeditæ fuerunt pariter in forma Brevis Literæ, ac tandem die 4. Maji 1693. Decretum à Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita emanavit, nec tamen exindè memoratæ Congregationis Gallicanæ tranquillitati sufficienter provitum reperitur, sed præarratæ perturbaciones, & inquietudines denudè reviviscere novum in præsens paternæ charitatis, & providentæ Nostre præsidium expolcant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis oportunitè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Decretum in rubr.

§. 3. Nos igitur eorumdem Superiorum votis hac in re quantum cum Domino possimus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac aliarum Litterarum, & Decreti præfatorum tenores præsentibus similiter pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium super hoc negotio à Nobis specialiter deputatorum, qui dilectum etiam filium Procuratorem Generalem, seu Commissarium Curie Familiæ Ultramontanæ Ordinis Sancti Francisci audiverunt, ac rem maturè examinaunt, consilio, disputationem, relaxationem, & indulta, quæ memoratus Urbanus Prædecessor per suas Literas primodiæ præfatis Fratribus Oblatis tunc temporis existentibus sicut suprascriptum est concessit dilectis filiis hodiernis, & per subsequentiâ perpetua tempora futuris Fratribus Oblatis, seu Servientibus dictæ Congregationis Gallicanæ, auctoritate Apostolica tenore præsentium pariformiter concedimus: Statuentes ut non solum Fratres Oblati, seu Servientes, qui eo tempore quo primodiæ Urbani Prædecessoris Literæ emanarunt, in præfata Congregatione Gallicana erant, sed etiam alii hodierni, & per subsequentiâ perpetua tempora futuri Fratres Oblati, seu Servientes Congregationis hujusmodi, necnon quicumque alii, qui ad statum laicalem in eadem Congregatione immediate, seu in ingressu Religionis assumentur, nullo unquam tempore suffragiorum jure gaudere valeant, nisi in receptione Novitiorum ad professionem ejusdem cum eis status, & conditionis, ac super controversiis præfatis perpetuum partibus silentium eadem auctoritate harum serie imponimus.

Decretum irritum.

§. 4. Decernentes easdem præfatas Literas semper firmas, validas, & efficaces existerè, & fore, si que plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, si que in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum & inane si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari.

Contrarium derogatio.

§. 5. Non obstantibus præfatis aliis Urbani, ac Innocentii, & Alexandri Prædecessorum Literis, & Decreto memoratæ Congregationis Cardinalium, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum Ordinis, & Congregationis Gallicanæ, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgitiis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis aliis in suo robore permanentibus, ac præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhibebitur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 3. die 12. Maji.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Maji 1672. Pontificatus Nostri anno tertio.

FINIS.